

AD L E C T O R E M .

quam par erat, spe nescio cuius arcani, intellexit arsenicum album, vel sublimatum mercurium, arsenicum rubrum præcipitatum, vel auripigmentum, & caput mortuum, nescio quod, & coccinnauit medicamentum interneccium. Si sciuissest sumendam calcem viuam, minium, & saponem Belgicum, & à tormento investigationis, & vsu periculo abstinuissest.

Qui disciplinæ Chymicæ morem non callent, ab his occulta sunt omnia quæ dicuntur, etiamsi manifestis exponantur, siisque notis, quas intelligent satis initiati. Ita omnes artes ab extraneis sunt remotæ, præsertim si non in vulgi transserantur sermonem, & vocabula disciplinæ mutent.

Nonnulli requirent à me mea experimenta, non aliorum artificum, quorum pleni sunt libri plurimi. Ego verò non meam artem doceo, sed artem Chymicam vsu artificum comprobata, expono. Si mea est expositio & modus docendi, sat est. Scito tamen Lector, etiam me aliquid studij in Chymicis posuisse, nec viliore ingenio esse coquisi, ambubaijs, tonsoribus, ancillis, seplasiarijs, agyrtis, &c. per quos nonnulli Chymiam exercent. Si itaque opus erit, ostendam tibi me quoque posse destillare aquam fontanam, ne quid dicam de vino in acetum mutando. Multa addidi tamen etiam ex meo penu, quæ alibi non inuenies, quamquam non apposui nomen. Ea, si libet, vsui pubblico donata sunt, vel cuiusvis boni nomine.

Non omnes adduco formulas, ne id quidem ars exigit: paucis, iisque comprobatis exemplis est contenta. Non omnia exempla coaceruat Dialectica, non Musica. Si liber, subiecte suis capitibus, quæcunque vnde cunque, si artificiosa sint & spectata vsu, aduolant. Noui item, vnum opus Chymicum variis parati modis: & fortassis sunt quidam meliores in abscondito, his quos ego posui. Ego verò ex his qui ad manum fuerunt, studui eligere optimos, & si dubia fuit electio, plures posui, alias etiam ad commentarium reseruaui. Si nancisceris meliores, liceat tibi eos substituere meis: inferuire his volui, qui nesciebant commodiora. Velim autem etiam cogites, me non expectare debuisse aliorum mysteria, nec  
cura-